



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem  
Disputationes in Capita diuisas

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1621**

Eadem Catholica sententia ratione à priori monstratur. cap. 14.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Intenti enim eius quis resistit: O homo, tu quis es qui respondes Deo, nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic: An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam: quorum verborum contextus

105

Primus sensus.

præsertim explicandus est, ut deinde nostram sententiam confirmemus. Totam vero difficultatem faciunt verbum illud, *Dicis*, & verbum, *Queritur*, & illud, *O homo &c.* nam si illud *Dicis*, significet objectionem, quam aliquis facere posset Paulo, ut plerique interpretantur, atque suppositum illius verbi *Queritur*, sit, *Deus*, ut omnes Græci, & communiter Latini volunt, sensus est: si Deus cuius vult miseretur, & quem vult, indurat; quare de hominibus queritur, quod iuste, & pie non vivant; siquidem nemo potest resistere voluntati ipsius. Rursus cum subiungitur, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* videtur respondere Paulus, ut communiter etiam Græci, & Latini intelligunt, & increpare hominis objectionem. Huic tamen obstat plurimum ratio subsequens, quam in confirmationem suæ increpationis Paulus videtur adducere: nempe, *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: sic?* Hac enim non erat hominis querimonia, sed contraria potius, cur scilicet Deus de homine conqueratur, cum ipse miseretur, cuius vult. Nam & artifex figmenti non posset de ipso vase queri, quod hoc, vel illo modo factum esset, cum ab ipso artifice formatum fuisset. Quare homo rursus obijcere posset Paulo id, quod responsione omnino careret, in hunc modum: ego non dico, cur homo queritur de Deo: nam sicut tu dicis, vas de artifice queri non posse, ita nec homo potest de Deo: sed dico, cur queritur Deus de homine, cum artifex de vase queri nequeat?

Secundus eiusdem loci sensus.

Si vero, aut aliqui Latini volunt, suppositum verbi, *Queritur*, sit, *homo*, quod verius est; adhuc difficilis manet contextus, si verbum *Dicis*, objectionem significat: erit enim sensus huiusmodi: obijcies itaque mihi, si ex dei voluntate libera penderet, quod ipse vnus miseretur, & alium induret; quid adhuc queritur homo, quod eius non miseretur Deus? nam voluntati Dei nemo resistere potest. Sed difficilis est responsio Pauli: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Immerito namque hominem, qui diceret, neminem de Deo queri posse, increparet Paulus dicens: *O homo, tu quis es, &c.* ille enim optime assereret, nullam de Deo querimoniam esse posse, quod in sua scilicet sit libertate, hoc, aut illo modo facere.

Terrior loci intelligentia.

Ideo, ut planior contextus fiat existimo particulam illam, *Dicis itaque*, non esse obijcientis, sed inferentis ex dictis conclusionem, hoc modo. Itaque iam dicis, & fateris conuictus ijs, quæ hæcenus diximus, frustra hominem de Deo queri, quod suam gratiam diuidat quibus vult: eius enim voluntati quæ est summa æquitas, & pro lege est, nullus obijcere potest; non dico potentia (nam de hac non agit Apostolus) sed neque ratione, sicut nos regibus resistimus lege, & ratione, qui potentia nequaquam possumus, deinde cum subiungitur, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* non sunt verba Pauli increpantis, sed continuan- da sunt cum præcedentibus tanquam pars illationis hoc modo: quinimo dicis ad quemlibet hominem, O homo, tu quis es, qui Deo respondeas, & contradicas? est enim in Græco particula *ἀλλὰ*, quæ Latine redditur, *Quinimo*, & est

arguentis illationem ipsam. Deinde cetera bene consonant.

Ex hoc loco quouis modo intellecto nostra sententia præclare comprobatur, nam si homo de Deo queri non potest, quod hunc eligat ad suam gratiam congruam, illum vero non; consequitur, nullum ex libero arbitrio initium, rationem, occasionem, seu minimum meritum esse nostræ prædestinationis; non secus quam in eandem luti massa non est aliqua, nec minima ratio, cur ex vna parte fiat vnum vas in honorem, aliud in contumeliam: alioqui quodammodo de Deo queri posset homo, ipsum ingratiudinis arguere, & eius voluntati aliqua ratione obijcere; quia cum capisset ex se, quantum potuit, conatus ipsius Deus non est prosequutus. Atque hoc testimonium ita probat, nullum initium ex nobis esse supernaturalis virtutis, sicut etiam moralis acquisitæ. Adde etiam, quod cum eodem loco ad Rom. 9. & Ierem. 18. homo in negotio suæ iustificationis comparetur luto, ex quo fit vas figulinum sicut tamen: non tantum formatur à figulo in vas, sed etiam ab eo præparatur; & emollitur: ita etiam homo non solum à Deo iustificatur, sed etiam bonis operibus præparatorijs emollitur, & disponitur: quod si homo quibusdam suis operibus sine gratia Dei factis, gratiam Dei obtineret, ipse se emolliret quodammodo, & præpararet.

Sunt autem alia testimonia Scripturæ, quæ probant, gratiam non inueniri solitudine, & oratione eius, qui illam consequitur, quæ hanc sententiam eodem modo confirmant: hæc tamen referemus infra in hac disp. cap. 17. Iam vero eadem sententia ratione confirmanda est.

## CAPVT XIV.

Eadem Catholica sententia ratione à priori monstratur.

Quamuis ad comprobandum Catholicam doctrinam, quam cap. 11. 12. & 13. auctoritate confirmauimus, rationes non desint, quæ tamen res hæc omnino supra naturalem, & humanam philosophiam est, ex principijs solo lumine naturali notis demonstrari nequit: sed bona ex parte auctoritatis etiam innitendum est. Duas igitur afferam rationes ex Patrum, & Scripturæ auctoritate collectas, quibus naturam gratiæ, quæ per Christum nobis restituta est, & prædestinationis illius, explicabo. Sed ante priorem rationem breuiter præmittendum est id, quod in vniuersum, cap. 1. dixi nimirum gratiam Dei in vniuersum esse donum quoduis liberaliter nobis à Deo colatum, etiamsi donum creationis comprehendat: sed gratiam Christi esse auxilium quotidianum, quo homo dirigitur ad bene operandum, & tentationes vincendas, quo tandem per singula opera ad iustificationem peruenit. Cum ergo agimus de prædestinatione gratiæ Dei non agimus de preuidentiā, qua Deus homines concedere decreuit, sed qua per Christum ipsos ad iustificationem, & rectam vitam deducere destinant: huius ex nostro arbitrio detur aliqua causa, quæ non sit effectus gratiæ Dei per Christum. Ideo autem diximus, nullum opus bonum ex nobis occasionem Deo præbuisse, dandi, aut prædestinandi nobis gratiam Christi, quia quodlibet etiam minimum, vnde homo incipit iustificationis viam ingredi, inter dona gratiæ Christi numerari.

numerari debet, & ita sub ipsam gratiam prædestinationis cadere. Id quod hac ratione probatur.

Cum homo rationalis naturæ sit indifferens, quidem ut bonum, aut malum sequatur, nec natura suæ creationis ad bonum determinetur magis, quam ad malum; sed cogitatione præiua in hoc, vel illud moueatur; primaque cogitationem in sua potestate dono suæ creationis non habeat; sit vt noniam à Deo gratiam consequatur, cum cogitatione boni mouetur, ea inquam, quæ ita obiectum proponit, vt re ipsa, sicut Deus nouit, voluntas ipsum prosequatur, & amet. Dixi boni cogitationem, nam si cogitatio sit mali obiecti, vel indifferentis, etiamsi nostrum arbitrium dono creationis illam non habeat: gratia tamen dicenda non est; gratiam enim, & donum solum in bonis agnoscimus. Neque enim Deus aliquam mihi gratiam facit, si mala mihi occurrat cogitatio, nec illam debeo petere, nec pro illa gratias agere. Cogitatio vero indifferens, si utilis est ad præsentem vitam non est gratia, quam contra Pelagium contendunt patres, quæ est per Christum, & qua promouemur ad iustitiam, etiamsi alia ratione propter utilitatem donum dici possit præsentis vitæ, sicut ipsa creatio. Porro autem cogitationem hanc prouocare ex aliqua rerum exteriorum serie, quam Deus præscientia, & prouidentia sua ita disposuit, nihil obstat, quo minus ipsa in se donum Dei sit à creationis dono distinctum. Neque enim ex vi creationis sequebatur hic rerum ordo, ex quo naceretur congrua, & efficax cogitatio potius, quam ordo oppositus. Cum igitur Deus res ita disposuit, vt congrue, & efficaciter moueretur homo, nouum donum distinctum à creatione ei prædestinavit.

Neque vero hoc donum solum est externæ cuiusdam protectionis, sed etiam internæ inspirationis, & cogitationis, cum omnis externa rerum series ad hoc ordinetur, vt interius homo sancta cogitatione moueatur: quæ, quia opposito rerum ordine, multisque alijs modis poterat à Deo perturbari, aut omnino impediri, illæso omnino dono creationis, & liberi arbitrij, ne effectum haberet; iure optimo noua gratia dicenda est, distincta à dono ipso creationis, vt disputatione 95. c. 6. etiam monstrabitur. Et quamuis hæc ratio non probaret omne opus morale ex omni circumstantia rectum esse donum Dei ex gratia per Christum distinctum à dono creationis de quo nunc non disputo; efficaciter tamen demonstrat illud opus eamque cogitationem sanctam, & congruam, ex qua nostræ iustificationis occasio seu initium desumitur, gratiam Dei esse distinctam à dono creationis; & sicut in Adamo eam amisimus, ita per Christum fuisse nobis ab æterno prædestinatam & in tempore restitutam. Nam sicut primi Adami peccato iustitiam, & innocentiam amisimus, ita etiam & iustificationem, & quamlibet gratiam, quæ ad illam nos mouet, quamlibet etiam occasionem, & initium illius perdidimus, quæ omnia in secundo Adamo scilicet in Christo nobis prædestinata, & restituta fuerunt.

Hoc autem modo intelligendus est Fulgentius libro de incarnatione & gratia Christi capite 12. in principio cum ait: Sic humano generi gratiam gratiam diuina bonitas contulit, per quam in hominibus non solum propagium obligatione contracta, & vitio propriæ voluntatis

ad illa deleretur omnis iniquitas, quin etiam cogitationis sanctæ amissa pridem in homine primo, per hominem secundum reciperetur facultas Et Prosper ad capitula Galorum c. 9. Et cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos gratia Dei totus mundus amplexus est (intelligit concilia Africana) veraci professione quemadmodum ipsorum habet sermo, dicitur gratiam Dei per Iesum Christum dominum non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuuare, ita vt sine illa nihil vera sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere; agere valeamus. Neque hæc dona ita ex Deo esse opinemur, vt quæ ipse nostræ naturæ auctor esset per conditionem iam hæc contulisse videatur, quia dedit quidem ab initio hæc homini facultatem, sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus. Vnde alia creatione, alioque principio renouari egemus in Christo. Quis autem neget, vt minimum ea opera moralia, quæ occasionem, & causam Deo præbuerunt nostræ salutis, esse veræ sanctæque pietatis? sentit ergo Prosper, hæc nobis non inesse dono creationis, sed regenerationis per Christum, per quem nobis prius amissa restituntur.

Hanc gratiam per Christum, qua recte viuunt, tentationes superantur, & homo ad iustificationem contendit, cuius meminit Aug. epist. 90. & 95. colligit ipse August. multis in locis ex eo, quod non est situm in nostra potestate ita, aut ita cogitare, sed Dei prouidentia variæ cogitationes nobis prædestinantur: loca August. retuli c. 11. huius disp. Sequitur ergo ex prædicta ratione contra Durandum, saltem opera bona moralia, quibus à Deo auxilia gratiæ impetramus, esse etiam ex auxilio gratiæ intus mouentis, nec solum ex peculiari prouidentia, & externa protectione: ita vere esse effectus gratiæ Dei, sicut etiam sunt prædestinationis, imo eo ipso sub prædestinationem cadere, quod ad gratiam pertinent, vt c. 10. ostendimus. Quomodo vero Augustinus initium gratiæ Christi in sancta cogitatione posuerit, & qua ratione, vidimus supra cap. 11.

Præterea ex Scholasticis nostris hoc genus gratiæ per determinationem cogitationis ad bonam partem, quod homo ex se indifferens sit, tradunt S. Th. 1. 2. q. 109. a. 2. Capreol. in 2. d. 29. q. 1. ar. 1. cond. 4. Deza Hispanensis in 2. d. 28. q. 1. ar. 3. notatione 2. & 6. Franc. Romæus in lib. de libertate & necessitate operum veritate 14. & 15. omnes ex Schola S. Th. insignes eius discipuli.

Ceterum hic obiter primum notandum est, auxilium gratiæ per Christum non solum appellari auxilium quod à Scholasticis supernaturalis ordinis esse dicitur secundum suam substantiam, & ad sola opera virtutum infusarum ex ipsorum opinione confertur, quibus voluntas nostra ex se vt instrumentum comparatur; sed etiam quicquid boni per Christum nobis donatum est, & post peccatum primi parentis ad recte viuendum, tentationes superandas, & ad iustificationem perueniendum, est restitutum, qualis est cogitatio illa pia, & sancta, de qua hæcenus diximus, quæ quidem secundum substantiam naturalis ordinis est, sed quodammodo supra naturam dici potest, quia circa industriam, & sollicitudinem nostram habetur, imo nostram sollicitudinem, & operationem præuenit, & ex intentione finis supernaturalis confertur. Porro autem auxilium gratiæ per Christum non solum esse ad opera illa

Prosper.

Enochrum  
Prosperi testimonium  
ad ipsam  
comprobandum.

Non est in  
nostra potestate  
ita cogitare.

Corollarium  
aduersus  
Durand.

S. Thom.  
Capreolus.  
Deza. Hisp.  
Franc. Romæus.

110

supernaturalis ordinis, sed ad aliqua etiam alia ordinis naturalis multa suadent. Primo auctoritas S. Th. 2. 2. q. 113. articulo 3. ad 7. ubi agens de patientia inquit, opus politicę virtutis esse commendatum naturę humane, & ita posse naturam nostram in illud tendere absque auxilio gratię gratum facientis: intelligit autem auxilium secundum substantiam supernaturalem, sed non absque auxilio gratię: concedit igitur auxilium gratię ad opera ordinis naturalis secundum suam substantiam præter auxilium super naturale ad opera secundum substantiam supernaturalia.

Secundo idem probat auctoritas Doctorum, quos Paulo ante allegauimus, & aliorum multorum, qui docent omnia opera moralia semper fieri ex auxilio gratię: quorum sententia si ita vniuersalis non placet, eorum saltem opinio displicere non potest, qui asserunt, ad opera difficiliora virtutis moralis, & ad difficiliore tentationes contra moralia præcepta necessarium esse auxilium gratię. Imo de omnibus tentationibus non pauci id ipsum probabiliter affirmant, vt suo loco videbimus.

Tertio colligitur idem ex Concil. Trid. sess. 6. c. 16. ubi definitur, gratiam Dei semper præuenire, comitari, & subsequi bona iustorum opera: ubi plane comprehendit etiam moralia, quibus præcepta obseruamus, vt ex eodem loco Concilij constat: & ostendimus 1. 2. q. 114. art. 4. nomine autem gratię non intelligi habituales, sed auxilium probabimus in ea q. ar. 7.

Quarto nisi id concedamus, vix defendere possemus, non esse ex nobis initium iustificationis nostrę, aut occasionem aliquam per bona opera moralia, vt in hoc capite notabamus.

Deinde obseruare debemus, nihil nostra interesse, vtrum hæc sancta cogitatio sit post fidem & noticiam Dei supernaturalem, an vero ante fidem etiam inueniatur: nam quocumque modo contingat, ex illa recta cogitatione oriri aliquod opus, quo à Deo impetremus aliquod auxilium gratię, illud præfertim, quo colligatur series operationum vsque ad iustificationem, & perseverantiam, vere gratia per Christum dicenda est, & quatenus præuenit consensum, dicenda est operans; quatenus vero comitatur illum, cooperans debet vocari. Mihi tamen dubium non est, aliquibus operibus moralibus ex gratia Christi factis, antequam aliquis cognoscat mysteria supernaturalia, obtineri à Deo veram illorum noticiam, & vltterius media illa noticia hominem cõsequi iustificationem. Quod si Aug. sapius negat gratiam ante noticiam fidei, id docet quia putauit, vt plurimum eos, qui non habent veram Dei noticiam, etiam si circumstantiam virtutis frequenter operentur, semper ex prauo fine, aut cum praua circumstantia operari, de qua 1. 2. q. 109. art. 2. fusius tractabitur. Quomodo autem fides sit donum Dei, & oratio similiter, ea q. a. illo 1. & 2. dicemus.

## CAPVT XV.

Ratio eiusdem sententię à posteriori.

Posterior ratio desumpta ab absurdo est huiusmodi. Si auxilium quoad iustificationem promouemur, daretur nobis occasione accepta alicuius operis nostri, illud non esset gratia, ac præinde iustificatio nostra non esset ex gratia, sed ex operi-

bus nostris; quandoquidem ipsis retribueretur tanquam debita, quod est absurdum. Hæc ratione Paulus excludit opera solius arbitrij à iustificatione nostra, & aperte pronunciat hominem non iustificari ex operibus legis, sed ex fide; ac si dicat ex gratię auxilio, quæ fide nobis communicatur: cum excludit opera, non solum excludit ceremonias, sed etiam moralia, quæ ex sola notitia legis sunt, vt ostendat solam noticiam legis sine spiritu gratię intrinsece non sufficere ad iustificationem, & obseruationem legis.

Paulum vero loqui non solum de lege ceremoniali, sed etiam de morali patet; quia ad Roman. 2. ostendens partem referre, si legem quis habeat exterius scriptam, vt eam obseruet, offert exemplum gentilium, qui sola naturali notitia legis, non quidem sine spiritu gratię mouente, sed sine exteriori litera illam obseruant, & iustificantur: id quod de lege morali plane intelligitur. Et capite 7. ostendens legis infirmitatem ad hoc solum delinere, vt noticiam præbeat peccati, atque, si spiritus gratię desit, qui intrinsece moueat, peccatum sequatur, exemplum offert legis moralis, cum ait: *Quid ergo dicemus, lex peccatum est: absit sed peccatum non cognouit, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciam, nisi lex diceret. Non concupisces.* Quæ verba non de ceremoniali, sed de morali lege plane accipiuntur. Et ad Galat. 3. vt ostendat literam legis exterius sonantem sine spiritu gratię potius mortem operari, quam iusticiam, sic inquit: *Quicumque enim ex operibus legis sunt (hoc est sola notitia literę legis operari conantur) sub maledictio sunt, hoc est, incurrunt maledictionem, quia legem non obseruant. Scriptum est enim: maledictus qui non permanserit in omnibus, quę scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Hęc autem maledictio etiam moralibus præceptis appositæ est. Cum ergo Paulus in vtraque epistola dicit hominem non iustificari ex operibus, excludit plane opera moralia ex proprijs viribus facta: vel quia nulla sunt huiusmodi, quæ seipsis iustificare possint, vel quia nulla huiusmodi sunt, quæ iustificationem à Deo impetrent, & eam aliquo modo inchoent.

Ceterum quia posset quis nimium contendere, hic à Paulo eo solum excludi opera moralia, quod ex seipsis non habeant vim iustificandi, non tamen ab eo negari, his operibus gratiam Dei obtineri, ex capite 11. ad Rom. clarius ostendo ex operibus moralibus factis sine spiritu gratię, non consequi hominem à Deo auxilium gratię, quoad iusticiam perueniat, inquit enim: *Reliquie, hoc est pauci, secundum electionem gratię salui facti sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia: ac si dicat, pauci qui saluantur, gratis à Deo ad suam gratiam electi sunt, atque gratuita electione saluantur. Quod si gratis electi fuerint, non propter opera ipsorum, quæ præcesserint, aut præuila fuerint, eligi poterunt. Sic intelligit Augustinus huic locum libro 1. ad Simplicianum quaestione 2. non longe à fine, & sermone 7. de verbis Domini secundum Mattheum, & libro de patientia c. vigesimo, & 1. de prædestinatione Sanctorum c. 3. & ratio est; quia electio iam esset gratia, non gratuita: vnde gratia non esset gratia, hoc est, id quod alioquin gratia esset, tunc gratia non esset.*

Hoc argumento ex testimonio Pauli contra Massilienses videntur Patres, vt probant, donationem

713  
Ante noticiam  
fidei potest  
dari gratia.